

tionem ad hoc Diploma provocarunt. In actis enim illis legitur : *Insuper desideravit a me inquirere Herbipoli, utrum adsit recessus de anno 1048. indictione secunda Moguntia initus, ubi facta est concordia inter Adelberonem Episcopum Wirceburgensem et Egebertum Abbatem Fuldensem per Henricum Imperatorem commissione Papa Leonis.* Qui igitur causam Ecclesie Wirceburgensis Romae agebat, ad hoc Henrici Imp. diploma etiam se tuto provocare posse putavit. Ast Judici visum est, idem Diploma ex omni sua parte non esse genuinum, quia Indictio II. non conveniat cum anno 1048. sed alligata sit anno 1049. et Leo IX. pridie Idus Februarii 1049. consecratus, quod certo ex Wigberti Vita ipsius constat, non potuerit anno praecedenti Synodum Moguntiae celebrare. Cum tamen ex eodem Wigberto non minus certum sit, Synodum Moguntiae, praesente Leone IX. anno 1049. habitam fuisse; concordiam illam inter Adalberonem Episcopum Wirceburgensem et Egebertum Abbatem Fuldensem ibi factam esse, et quidem anno jam provecto, non vane statuitur. Si enim non genuinum et ab homine aevi posterioris confictum esset Diploma, de Synodo Moguntina et praesentia Leonis in eadem, ille, pro ista temporum barbarie, vix aliquid scire potuisset. Veteres numerum 49. exprimebant XLVIII, quod cum eo tempore, quo diploma hoc ex authentico descriptum est, non amplius in usu esset, sciolus librarius unitatem omisit, et forte etiam pro *III. Non. Novēbr.* (nam eo mense Synodus Moguntina congregata fuisse videtur) in apographo suo oscitanter reposuit *III. Non. Febr.* Haec verosimillima sunt. Interim tamen Diploma, quod ex circumstantiis non falsum, sed in Dato tantum paulisper corruptum agnosceres, a Judice velut indubium haecenus quidem non receptum est. Quod si tamen patronus causae Diploma idem cum historicis aliisque Chartis et Diplomatum contulisset, et una cum iis, quae modo diximus, testes, qui magno satis numero adscripti sunt, eo tempore omnes in vivis fuisse dilucide ostendisset, judicem non potuisset non adigere, ut illud pro genuino recognosceret, et secundum idem sententiam ferret. Impossibile enim impostori alicui fuisset, tot nomina virorum, additis eorum dignitatibus, congerere et in uno alteroque non falli. *Bardo Archiepiscopus Moguntinus* factus est anno 1031. et obiit anno 1051. testibus Hermannus Contractus, Lamberto Schafnaburgensi, Mariano Scoto, Annalista Saxone et Necrologio Fuldensi. *Hunfridus Archiepiscopus Magdeburgensis* constitutus est, cum antecessor ejus Gero anno 1023. ut produnt Necrologium Fuldense et Annalista Saxo, decessisset; ipse defunctus est anno 1051. ut iidem authores asserunt. *Eberhardus Archiepiscopus Trevirensis* creatus est anno 1047. et mortalitati valedixit anno 1066. ut referunt Hermannus Contractus et Annalista Saxo. *Ezelinus Episcopus Hildeshemensis* electus est anno 1044. et vita excessit anno 1054. ut referunt Annales Hildeshemenses et Annalista Saxo. *Bruno Episcopus Mindensis* anno 1036. Sigeberto defuncto successit, et anno 1055. vitam cum morte commutavit, ut ex Annalista Saxone et Leerbecii Chronico Mindensi patet. *Rudolphus Episcopus Paderbornensis*, contracte *Rotbo* dictus, S. Meinwero successit anno 1036. et anno 1052. obiit, ut Annalista Saxo et Lambertus Schafnaburgensis perhibent, Schatenius vero in Annalibus Paderbornensibus demonstrat. *Megenhero Abbas Hirsfeldensis* constitutus est anno 1036. et humana reliquit anno 1059. auctoribus Annalista Saxone et Necrologio Fuldensi. *Winther Cancellarius Regius Germanicus* Cancellis praefectus est sub finem anni 1047. aut sub initium anni 1048. Nam Schatenius Henrici III. Imp. diploma pro Ecclesia Paderbornensi an-

Testes, qui  
Diploma-  
ri subno-  
tantur,  
omnes in  
viva tue-  
runt tem-  
pore illo,  
quo da-  
tum est.